

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 13

In nomine <Domini ac Salvatoris nostri Jhesu Christi>. Carolus <Francorum Aquitanorumque> gratia Dei rex. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus Deoque in his famulantum pacis ac tranquillitatis curam gerimus et ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni nostri confirmandum et ad perennis vitae beatitudinem consequendam profuturum esse non dubitamus. Quapropter libuit nobis innotescere omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus [et] nostris, praesentibus scilicet sive futuris, quia devote retulit excellentiae celsitudinis nostrae quidam regni nostri fidelissimus vir venerabilis Vivianus nobisque merito amabilis, sicut simul secundum Deum inieramus, dedit se fratribus sancti Martini Antoniacum villam ad eorum armelausas; verum etiam instituisse, per commune eorumdem consilium, CC tantum esse in numero fratrum, vicenos singulis mensis. Insuper suppliciter deprecatus est, sua et supradictorum fratrum vice, consuetudinariam pietatem mansuetudinis nostrae auctoritatem a nostra regali potestate fieri, per quam rationabile suum factum tam in praesenti quam in posterum perennibus temporibus immutabiliter constaret firmissimum. Cujus dignissimae petitioni a nobis salubri libenti animo adquievimus praeceptumque regiae nostrae confirmationis fieri jussimus, per quod statuimus atque perenniter stabile in perpetuum decernimus, juxta praecessorum regum morem, ut praefata villa Antoniacus cum omni integritate suisque appendiciis deinceps per omnia deserviat fratribus sancti Martini, peculiaris patroni nostri, ad illorum annuatim vestimenta, excepto mensuali atque agrario in victu eorumdem jamdudum attributo; similiterque in ordine congregationis CC sint fratres, viceni singulis mensis, ac per hoc deinde nullus aggregetur quoisque ad hunc numerum perveniat ordo congregationis, postea vero, uno decadente, in ejus locum succedat qui honestate vitae, sapientiae, morum locum queat secundum canonicam auctoritatem tenere, quatinus servitium omnipotentis Dei liberius possit peragi et beati Martini melius in cunctis conservari, etiam quoque eadem nobilis congregatio pro nobis ac genitore nostro necnon insigni nostra prosapia clementiam cunctipotentis Dei uberius exorare. Quamobrem supplici voce et toto affectu religionis mentis nostrae, pro honore Jhesu Christi filii Dei ac reverentia beati Martini, praeclarissimi confessoris heri istius loci, jam tandem supplicamus per sanctam Trinitatem omniumque sanctorum praemia omnibus qui per diversa tempora in regno nobis a Deo commisso sunt futuri, sicut sua instituta voluerint esse perpetuo inviolata a suis successoribus, ita hoc meum conservare studeant perpetuis temporibus inviolatum in omnibus, veluti hujus mecum mercedis mereantur esse participes. Et ut haec nostrae auctoritatis praeceptio perpetualiter conservetur et a fidelibus Dei et nostris verius credatur ac reverentius conservetur, manu nostra propria subter firmavimus et anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Aeneas notarius ad vicem Hludowici recognovit et s.

Data XVI kal. mai., inductione XII, anno VIII regni Karoli gloriosissimi regis. Actum Caresiaco palatio regio. In Dei nomine feliciter. Amen.